

foeffere. Hispani tamen multi, Gallique, ac Itali nonnulli, prosequendi Concilii cupidi, in Civitate remansere, seque Petrum Lunam ex Hispania evocaturus imitabantur. Quod quidem veritus Martinus, Malactam Pisauri Dominum Oratorem suum multis cum millibus Senas misit, qui Supremum pluries Magistratum adiens, rem Concilii auferre postulavit.

At Magistratus, cum in Pontificis voluntatem inclinaret, in Senatu tamen id obtinere nequaquam poterat. Quamobrem auctoritate propria apparatus omnem, & ornatum sustulit: quo facto, cuncti ferè, maxima tamen Civium parte invita, discessere.

Remota Concilii disensione, insequentis anni MCCCCXXV. Bernardinus ex Nobili Albizescorum Senensium Familia, Matre verò Massana genitus, qui morum jam, ac vitæ Sanctitate clarebat, Dei verba publicè concionare cœpit, primoque in Senensi Foro pulpitem ad Palatii fores positum ascendit, septimo Kal. Majas, perque totum mensem est prosequutus, maxima non solum Senensis Populi, sed confluentium etiam Rusticorum cum frequentia, adeò ut aliquando quadraginta hominum millia adfuisse existimarentur. Hic secundo Pentecostes die nomen Jesu maxima cum reverentia Populo exhibuit: quod mox die insequenti inter supplicationes procedendo summa omnium cum veneratione circumtulit, ad ejus postea imaginem etiam æream signum in Publici Palatii fronte affixum fuit, Mediolanensium Ducis Insigne illic existente, prius adempto. Is concionibus suis, ac monitis eò Populum commovit, ut aleas omnes, taxillos, cartulas, fucos, cerusas, calamistras, ceteraque vanitatis, ac Veneris instrumenta igne publicè in foro comburent. Harum rerum fasciculos quadraginta fuisse perhibent. Nec mirum, cum tanta in eo fuerit & doctrinæ, & miraculorum claritas, ut Italia Apostolus ubique nominaretur.

A Post hæc nil memoratu dignum per quadriennium factum invenio, nisi quòd Anno MCCCCXXVI. tractatum fuit nescio quid per Christophorum Ghriffolum cum Petro Dineo Reipublicæ rebelle, de Duodenaria factione restituenda. Capitur Christophorus, & cum convictus ad capitis supplicium duceretur, fortè ob fugientem equum inter multitudinem tumultus exoritur. Quare aufugientes Lictores, ipsum vinctum deseruerunt, qui ita, ut erat, ligatis manibus, fugam arripiens, à Lictorum duce recipitur, ac tandem capite truncatur. Tumultus verò per Georgium Thomam Populi Capitaneum per præconem sedatur. Et Carolus Angelini filius, quem Sacri Divæ Mariæ Xenodochii Rectorem superius diximus, ad Civitatis Episcopatum assumtus est, ob ingentia, ut arbitror, hominis merita: fuit enim, ut ex ejus in Reipublicæ administratione gestis percipi potuit, vir summâ prudentiâ præditus & probitate.

B Anno verò MCCCCXXVIII. Suspicionis aliquid exortum est; nam Florentini post initam pacem cum Philippo Mediolanensium Duce, in Etruriam milites revocarunt, ac juxta Senensium fines disposuerunt; & quidquid ad victum esset necessarium, Senas importari, ac homines etiam partransire, nisi solutâ prius pecuniâ, vetuerunt. Ea tandem res, missis Oratoribus, componitur, & lex abolitur.

C Franciscus Carmignola Venetorum militum Imperator Anno insequenti ad Senensium Balnea accessit, equites sexaginta, ac trecentos pedites ad sui custodiam secum adducens, Civitatemque ingressus, maximis honoribus & publicè, & privatim afficitur. Cumque dies plures ad Petriolana præmum, deinde ad Sancti Philippi Balnea consumsisset, Senas reversus est; Urbis situm perquam diligenter speculatus est, quam expugnatu difficilem judicavit, non sine multorum suspitione.